

torium
Monaste-
rii S. Petri.

hardo inscriptionem profert, qua constat, anno 838. *Indict. XVI. dedicatum esse hoc Oratorium, jussu Otgarii Archiepiscopi Moguntini a Reginbaldo Chorepiscopo IV. Kal. Octobris.* Recenset deinde ex Vita Rabani a Rudolfo conscripta Reliquias, Ecclesiae huic illatas. Sed verba Rudolphi, quae non favent, more suo reticet. Sunt ea haec: *Aedificavit etiam Ecclesiam valde conspicuam in monte excelso, XII. fere stadiis ad Orientem a suo Monasterio distantem, quam cum ex praecepto Otgarii Archiepiscopi per Reginbaldum Chorepiscopum ejus in honorem beatorum Apostolorum, Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, Confessorum atque Virginum, omniumque Sanctorum Spirituum caelestium fecisset consecrari, intulit in eam ossa S. Felicitatis etc.* Ex praecepto Otgarii cum fecerit Ecclesiam hanc consecrari, satis patet, Rabanum praeceptis Otgarii hac in re subfuisse, necdum Sedi Romanae immediate subiectum fuisse. De eodem Monte S. Petri agens, dicit; Rabanum mortuo Ludovico Pio, abdicata dignitate, Lotharium Augustum secutum, et anno 844. Fuldam iterum reversum ab Hattone, quem sibi in Abbacia successorem dari, *passus fuisset*, hunc locum pro secessu ab eo expetiisse. Rabanus tamen Abbatiali dignitate non se ipsum abdicavit; sed a Ludovico Germanico, quod Lothario Imp. contra ipsum haberet, inde *expulsus*, et Hatto ejus loco constitutus est. Lambertus Schafnaburgensis ad annum 842. recte scribit: *Luitharius expulsus est a regno et Raban Abbas de Monasterio.* Episcoporum Germaniae decreto hoc factum fuisse non est dubium. Rudolfus mollius cum magistro suo agens, haec sententio involvere maluit. Si vero tunc Fulda Sedi Apostolicae immediate subiecta fuisset, Ludovicus Rex Rabanum ab officio deponere non potuisset sine excommunicationis incurfione, quam tamen non metuit. Rabanus ipse de nulla sui aut Monasterii sui immedietate aliquid scivit, nec Romam causam suam detulit, licet ibi in magna existimatione esset. Agnovit se Regi et *Episcopo Wirceburgensi* subesse. Unde cum varias Ecclesias construeret, hoc semper cum venia Episcopi sui fecit. Rudolfus hoc claris verbis confitetur cap. 5. de eo scribens: *per Cellas fratrum sibi commissorum, et per alia loca multa ad se pertinentia, in quibus prius non erant, Ecclesias cum permissione Episcopi sui construxit: quas collectis undique Sanctorum Reliquiis, eorum nomine et honore consecrari fecit.*

Rabanus
Abbas juf-
fu regio
Fulda ex-
pulsus est.

Monaste-
rium Sala
Wirce-
burgensis
Diocesis
fuit.

Ejus situm
ignorat
Schanna-
tus.

Ubi situm
fuerit.

XLV. Pag. 142. *Monasterium Salanum* comparet; quod inde enucleat Cl. Schannatus. *Manto et Megingoz Comites* Trad. Fuld. LXXXIII. anno 788. ad Monasterium S. Bonifacii, cui Baugulfus Abbas praerat, donarunt *quicquid proprium habere videbantur in locis, quorum haec sunt nomina: Einfirst (haec est cella nostra) juxta fluvium Sala, et in pago Ascfelt in quinque villis*, variaque alia in variis pagis bona. Deinde invenit Schannatus Trad. CCCLIX. Warmuntum cum matre Ellensvinda anno 824. ad Monasterium Fuldense donasse *in villa Karagoltesbach, et in pago Ascfelton* quicquid ibidem proprietatis habuerant: *Facta Chartula Traditionis in Monasterio Sala.* Quis hinc concludere posset, Monasterium Sala esse locum eundem cum Cella *Einfirst*, sita juxta fluvium Salam? Sic tamen argute conclusit Schannatus. Concedo ipsi, Einfirstam Cellam, et Monasterium, Sala dictum, ad Salam fluvium jacuisse: sed ideo Sala locus nondum idem est cum *Einfirsta*. Ipse ne vestigia Monasterii Salani amplius superesse fatetur, locumque, ubi fuerit, ignorat. Nihilominus tamen id inter Monasteria virorum Ecclesiae Fuldensi immediate ac pleno jure subiecta collocat. *Sala* vero restat in vico *Saal* ad Salam fluvium supra Neustadium sito, et Dioce-

Dioce-